



FRidericus hic filius fuit Heinrici sexti, et nepos Friderici primi Barbarossæ, & Constantiæ regniæ monialis, Guilhelmi regis Siciliae & Apuliæ filia. Hæc enim ne filium progigneret regni destructorem (ut in fatis esse quidam prædicebāt) Panormi in monasterium S. Claræ erat intrusa. Sed à Cælestino pontifice soluta, Heinrico Imperatori despondetur. Quæ præter omnium opinionem, cum esset annosa, concepit. & quum pariendi tēpus aduentaret, ob suspicionem amouendā, palām in tentorijs in pratis Panormitanis (multis utriusq; sexus astātibus) decrepita ferè infantem peperit, cui post Friderici 2. nomē fuit. Sicq; per matrem utriusq; Si-

ciliae rex, & per patrem Italiae dominus, & Sueviæ dux factus est. Erat homo pulcherrimus, & corporis forma conspicuus, iusta & quadrata statura, membris decoris, capillo subrufo, & oculis lætis. Prudentia naturali præditus erat, & prouidentia omnes homines eius seculi superabat. præclarus etiam artifex in omni scientia Mechanica, cui ingenium intendere licebat.